

F.V. 70.

Zf  
2980

X 2120425



**RECTOR**  
**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**  
Exeqvias  
**DN. CHRISTIANI**  
**VVAGNERI,**

Philosoph. Magistri, S. Theologiae Bacca-  
laurei & Pastoris ad S. Johannis  
Suburbani,

*Viri Admodum Reverendi & Clarissimi*

Hodie XXXI. Julii

Hora III. a meridie  
celebrandas


**Proceribus & Civibus Academicis**

intimat.



X 32  
2





lennium est, & ultra, ex quo Admodum Re-  
verendus ac eruditionis amplæ Vir Dominus CHRISTIANUS  
WAGNERUS, Philosophiæ Magister, S. Theologiæ Baccalau-  
reus, & Pastor ad S. Johannis Suburbanus, cujus immatura, nostro  
hominum judicio, ac luctuosa mors indicenda nobis incumbit,  
Claudii Francisci Menétrier, Jesuitæ Galli Refutationem solidam Prophetiæ, de  
Pontificibus Romanis ab anno Christi MCXLIII. usque ad finem mundi fessuris,  
Malachiæ Archiepiscopo Hiberno auctori adscriptam ab Arnolde Wion, Mona-  
cho Benedictino, lib. 2. Ligni vitæ cap. 40. pag. 307. & ab omnibus fere ea opinio-  
ne acceptam, e Gallico sermone in vernaculam linguam eleganter transtulit.  
Uti vero singuli Papæ lemmatibus quibusdam ænigmaticis, vel ad nomen, vel  
ad patriam, vel ad familiam, vel ad officia, vel ad titulos Cardinalitios, vel ad in-  
signia, vel ad duos aut plures ex his fontes alludentibus prædicuntur, ita ad an-  
num MDCXXIII. adscriptum est: LILIUM ET ROSA. Hoc Urbanum IIX.  
præfiguratum ajunt, cujus insignia ornant apes, mel suum ex liliis & rosis sugen-  
tes. Eo respexit Joan Faber Lynceus, Philosophus, Medicus, publicus Professor  
Romaniæ & Summo Pontifici ab Herbariis Studiis, in Expositione Animalium  
Novæ Hispaniæ a Nardo Antonio Reccho descriptorum. ubi ad Taurum Mexi-  
canum Scholia prolixiora scripturus erat, inter alias causas hanc etiam allegans  
fol. 589. *Accedit huc maximum momentum, quod Varrone auctore, ex Bove putre-  
facto nasci dulcissimas Apes mellis matres, a quo eas Græci βουβονας appellant, di-  
dicerim. Unde & indubitata nos spe lactamur, Rempubl. Christianam bonis avi-  
bus, imo felicibus Apibus, gubernatum nunc iri sub Urbano VIII. Pont. Opt. Max.  
Urbis & Orbis Arbitro, ac militantis in terris Ecclesiæ Christi Praside, quem nobis  
Pastorem, qui Popello suo Mel præbiturus esset Evangelicum, Gentilitiis ipsius  
Armis tres Apes insidentes jamdudum augurabantur.* Non satisfacit explicatio  
ænigmatis Menétrierio, sine dubio, quod in insignibus Barberinis apes quidem  
conspicerentur, at non item lilium & rosa, pro quibus alia communiora & gra-  
tiora illis sunt pabula. Cum ergo in Urbanum illum Pontificem emblemata Apis  
cum lilio & rosa parum quadret, nos ad doctissimum, humanissimum, urbanissi-  
mumque WAGNERUM transferimus, qui more modoque Apis sedulæ, ex liliis  
Librorum Sacrorum Veteris & Novi Testamenti fidem puram, vitamque inno-  
centem depromsit, ac in usum non tantum sui, sed & auditorum suorum conver-  
tit: ex rosis, id est, ex scriptis doctissimorum eruditissimorumque Hominum va-  
riam & suavem eruditionem collegit, quam, tum in Acta Eruditorum, quæ Lipsiæ  
publicantur, diligentissime contulit, tum in alvearium domesticum reposuit, ex  
quo suo tempore ad usum Orbis literati ubertim congesta emanatura erant. Cum  
enim literaturæ Græcæ, Hebr., Chald., Talmudicæ ac Rabbinicæ, & linguæ Angli-  
cæ, Gallicæ, Italicæ, esset admodum peritus, in sacrarum profanarumque historia-  
rum pandectis imprimis versatus, non nisi eximia & præclara opera ab hoc viro,  
horis

horis subscecivis elaborata expectabantur. Quis nunc non ingemat? non doleat  
ejus florentissimis annis obitum? At cum DEO Summo Vitæ nostræ arbitro pla-  
cuerit cito ex mortali & misera hac vita in immortalem illam & felicem evocare,  
nobis in sanctissima ejus voluntate acquiescere convenit. Pro instituti autem no-  
stri ratione vitam bonam, & beatum discessum memoriæ posterorum narrando  
commendabimus. WAGNERUS Noster ortus est in hac urbe d. XX. Febr. Anno  
MDC LXIII. hora quasi decima vespertina. Parentes ipsi fuere genere, virtutibus,  
& meritis in Republica incluti. Pater Dn. D. PAULUS WAGNERUS, Jctus  
Curia provincialis Supremæ, Facultatis Juridicæ ac Scabinatus Assessor, Civitatis  
hujus Consul Nobilissimus, de his omnibus amplissimis muneribus meritissimus,  
Senex venerabilis, ac filio charissimo superstes contra spem vota q; sua cum gemi-  
tu & lamentatione vivens. Etenim maximo, quod a morte Conjunctissimæ Uxoris,  
ex præclara Ohemiorum familia natæ ex hoc filio capiebat, solatio, nunc orba-  
tum quoq; se videt. Avum paternum habuit Dn. PAULUM WAGNERUM, J. U.  
D. & Practicum in hac urbe celebratissimum, Aviam ELISABETHAM DREU-  
ERIAM: Avum maternum Dn. SEBASTIANUM OHEIM, Senatorem, Ædilem  
Urbis, Antistitem Templi Nicolaitani, & Xenodochiorum S. Johan. & S. Georgii,  
Mercatorem nominatissimum; Aviam SUSANNAM SCHILERTINAM.  
Quando Noster in hunc mundum natus prodierat, tam infirmæ erant corpusculi  
vires, ut qui vix vivere hic inceperat, mox moritus esse metueretur. In hoc pericu-  
lo vitæ non statim adesse poterat Ecclesiæ Minister, qui infantem sacris baptismi  
aqvis a peccatis ablueret. Quare Parens ipse de filioli sui salute rectissime sollici-  
tus in ista necessitudine, Christiana manu menteq; eum baptizavit, Christiani no-  
mine appellavit, ac DEI clementissimæ voluntati permisit. Is vero Parens eum pio-  
rum preces mox exaudivit, infantem melius habere fecit, ut postero die in Tem-  
plum Nicolaitanum delato, juxta præscripta Agendorum Ecclesiasticorum bene-  
dictionem a Ministro Ecclesiæ acciperet. Hunc ergo cum a DEO sibi redonatum  
filium illi intelligerent, officii sui ac gratitudinis bene memores diligentissime a  
teneris pietate & virtutibus imbuerunt, & ab ætate, in iisdem pariter ac bonis literis  
perfici voluerunt. Per decennium sub uno Præceptore industrio & fideli, Dn.  
THEOPHILO LESSINGEN, patriæ Scaudizensi, qui post Senator Camentia in  
Lusatia fuit, fundamenta religionis & artium, quibus parari ingenia solent, posuit.  
Profectibus quotidianis respondebat satis Informatori & Parentibus. Indole enim  
optima erat præditus, per quam puer docilis, amabilis, graciosus apud omnes ex-  
istebat. Academia spatia An. Christi MDC LXXVI. ingressus Philosophiæ ac Theolo-  
giæ navare operam cepit, Scholas philosophicas Dn. D. VALENT. ALBERTI  
eo tempore institutas frequentans, in Colleg. Orator. Præsidi B. L. JOACHIM.  
FELLERO progymnasmata eloquentiæ faciens, Græc. Lingvam instituente pe-  
culiariter M. BOLZIO, Scholæ Nicolaitanæ Conrectore quondam, uberius hau-  
riens, ac Institutionibus Theologicis B. D. JOH. ADAMI SCHERZERI assi-  
dens. Sequenti anno Baccalaureus Philosophiæ creabatur, Disputationemq; de  
divisione Majestatis in realem & personalem adversus Monarchomachos con-  
scriptam publice & docte sub umbone laudatissimi D. ALBERTI respon-  
dens tuebatur. Post hæc Collegia Philosophica & Theologica continuans anno  
MDC LXXIX. Summo in Philosophia honore ornabatur. Mox Misenam abibat,  
Dn. D. AUGUSTO PFEIFFERO, Pastore tunc ad S. Afræ, deinde Archi-Dia-  
cono Templi Thomani, Professore Lingvarum Orientalium apud nos, ac Colle-  
ga nostro honoratissimo, in præsentem Superintendente Lubecensi, Philologo ac  
Theologo famigeratissimo, in lingvis Orientalibus Magistro usus. Has ibi per  
annum integrum omni studio tractans admodum familiares sibi fecit. Reversus

FX 24 2980  
in Academiam patriam in studiis Rabbiniis & Talmudicis, viam monstrante, Dn. FRIDERICO ALBERTO CHRISTIANO, Judæo Converso, Lectore in hac Academia Rabbiniis, in mari illo amplo apprime versato Viro, altius se immerfit. Versabatur vero in his ita, ut meliorem partem temporis daret Theologiæ didacticæ, homileticæ & polemicæ, quam ab Excellentissimis Theologis SCHERZERO, CARPZOVIO, OLEARIO traditam accipiens, in universa solidam scientiam obtinuit. Inter ea Locum suum inter Magistros, de Ur Chaldæorum disputans asseruit, & pro Loco in Facult. Philosophicâ obtinendo disputationes sibi concedi petens, non solum obtinuit, ut priorem, quæ Animadversiones in Thomæ Burneti Theoriam Telluris Sacræ continuit, & posteriorem de numero mundorum haberet, sed etiam Anno MDC LXXXV. in numerum Assessorum ejusdem inclutæ Facultatis reciperetur. Nec exercitia Theologica segniter simul tractabat. Conciones sacras sæpe loquebatur ad populum in ecclesia, in Disputationum, quibus Theologiam Canonibus comprehensam proposuit publice Dn. D. GEORGIUS MOEBIUS S. Theol. Professor Primarius, Respondentis partes sustinebat, aliisque Speciminibus profectus suos egregios ostendebat. Hinc eodem mox anno Concionator Sabbathicus a Senatu Urbis amplissimo constituebatur. Eodem benevole vocante An. MDC LXXXVII. Pastoratum Suburbanum ad S. Johannis adibat. Quod officium cum experiretur non permittere, ut curam rei Oeconomicæ ipse solus gereret, mense Augusto cum Virgine lectissima, DOROTHEA SOPHIA, Dn. JACOBI THOMASII, Philologi & Philosophi celeberrimi, Professoris olim nostri & Collegæ astumatissimi filia nuptias pactus est, quas die XXIV. Septembris in Templo Nicolaitano per benedictionem Ecclesiasticam consummavit. Inter præcipua hujus vitæ bona a DEO concessa conjugium suum, referebat: nam una erat conjugum anima, una voluntas in omnibus: inter duos sonabant Psalmi & hymni & mutuo provocabant, quis melius DEO suo caneret. Filiolum PAULUM CHRISTIANUM, an. MDCXCII. die XXII. Februarii amplexabantur, anniculum eodem die, quo acceperant, Patri cælesti, madentibus oculis, patienti animo reddebant: maritus devota cantione composita jacturam familiæ consolabatur. Muneris sui negotia summa fide ac industria administrabat. Tempus ab iis vacuum & Theologiæ, & elegantibus literis impendebat; a fine Anni MDC LXXXVI. hucusq; in Actis eruditorum colligendis multam operam, laborem, diligentiam contulit; ac ingenii monumenta, quæ in publicum proferret apparavit. Historiam Parthiicam ex libris numisq; colligere meditabatur Genesium, qui Byzantinam historiam a Leone Armeno usque ad Basilium Macedonem perduxit, nondum editum, cum versione & notis suis publicè laborabat. Cujus operis gratia Codicem ex Manuscripto exemplari Bibliothecæ Academicæ a Joh. Andrea Bosio descriptum, & ad cujus margines Reinesius conjecturas quasdam adscripserat, e Bibliothecâ Senatus Lipsiensis mutuatus erat. Et videbatur jam sibi ex hexasticho græco ad calcem codicis advertisse, non Genesium, cujus nomen in Codice Academico extat, sed duos alios esse auctores, Johannis alicujus filios, Georgium & Theophanem. Epistolarum commercium ipsi intercedebat, cum Generoso Dn. JACOBO WILHELMO IMHOFF, cum Dn. ANTONIO MAGLIABECCHI, Bibliothecario Magni Ducis Hetruriæ longe celeberrimo, cum Dn. GVILIELMO CAVE, Theologo Anglo doctissimo, cumque aliis viris eruditissimis, quorum humanissimas literas uno volumine compactas asservabat. Horum adjumento cum niteretur, non nisi opera, quæ expectationi facerent satis, proditura erant. Quæ omnia sæda ventris proluvies delevit. Ejus initia sensit die XXII. Julii, Sabbathi, & die XXIII. Dominico, attamen utroque officii sui partes explevit. Incrementa morbi eodem die Dominico prodiderunt dejectiones aliquæ cruentæ, & circa vesperam vehementes vomitiones. Supervenerunt crebra deliquia, ut extra lectum ægre esset. Medicamentis mox datis cessarunt dolores & vomitus, dejectiones vero sequenti die Lunæ usq; in mediam noctem fluerunt & hæc remediis repetitis minus frequentes & absque cruore fuerunt. Mercurii die adhuc rarius contigerunt, ut noctu ac die Jovis somno aliquandiu quiescens spem recuperandæ valetudinis facere potuisset, nisi frequentia deliquia & debilitas corporis nimia eam intervertissent. Non autem extrema ille exspectavit, sed die Martis præmissa serâ Confessione peccatorum salutare illud ac divinum viaticum S. Cæræ assumpsit; Uxori, Parenti, ac cognatis valedixit, terrena omnia contempsit ac sola cælestium gaudiorum Jovis mane se detinuit. Itaq; die XXVIII. Julii post horam X. diurnam, placido prorsus leniq; solutus obitu, rebus humanis excessit, natus annos triginta, menses V. dies VIII. fere, relinqvens suis cognatis, nobisq; luctum ac desiderium acerbum. Parentis Senis honoratissimi dolorem mitigabimus verbis, quibus Bernhardus Vitam Malachiæ supra memorati, quam descripsit, finiit: *Quid rationis habet immoderatus plangere filium, quasi non sit pretiosa mors ejus, quasi non sit mortis porus & porta vitæ? Filius meus dilectus dormit, & ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione ruerit. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talem somnum, in quo hereditas Domini, filii merces fructus ventris, quæ horum videtur fletum indicere? Egone flem illum, qui fletum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille inviduetus est in gaudium Domini sui, & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invideo.* Uxoris pariter & familiæ spectatissimæ luctum leniri aliquâ ratione posse arbitramur, si exequias defuncti frequenter celebremus. Id igitur ut promte & prolixè faciatis, Proceres & Cives Academici, etiam atque etiam adhortamur. P. P. die XXXI. Julii Anno Christi MDC XCIII.

LIPSIÆ, Literis KRÜGERIANIS.

F.V. 70.

Zf  
2980

X 2120425

RECT  
UNIVERSITATIS  
Exequ  
DN. CHR  
VVAG

Philosoph. Magistri,  
laurei & Pastori

*Viri Admodum Re*

Hodie X

Hora III.

Proceribus & Ci



X 32  
2

